16079/P

DISSERTATIO MEDICA

De affectu catarrhali epidemico anni 1775, quem Galli vulgò appellant,

LA GRIPPE,

Deo duce & auſpice Dei-Parâ, in Auguſtiſſimo Ludoviceo Medico Monſpelienſi, propugnata

AUCTORE

Hieronymo-Josepho Bugnicourt, è Loco Clary apud Cameracenſes, Liberalium Artium Magiſtro, & jamdudùm Medicinæ Alumno, die menſis Maii, anni 1776.

Pro primâ Apollinari Laureâ adipiſcendâ.

MONSPELII,

Apud JOANNEM MARTEL, NATU MAJOREM, Regis, Univerſitatiſque Typographum Conſuetum.

M. DCC. LXXVI.

WELLCOME
LIBRARY

DISSERTATIO MEDICA

De affectu catarrhali epidemico anni 1775, quem Galli vulgò appellant

LA GRIPPE.

Epidemicæ tuſſes cum catarrhis vagatæ ſunt ità, ut nemini Parcerent, quamvis paucos interemerint.

MORGAGNI *de ſedib. & cauſ. morbor. lib. 1.*

INTER omnigenos affectus qui ſanitati humanæ inſidiantur, recenſendus venit catarrhus qui, anno proximè elapſo, per omnes Europæ terras longè latè ſerpuit. Humorum ſeroſorum fluxionem quæ in quamlibet corporis partem delata, ejuſdem functiones turbat, latini *deſtillationem*, græci Κατάῤῥον nuncupant. Hunc etiam vulgus vocat *rheuma*, quod & fluxum ſignificat. At omni fluxioni hoc nomen genericum dari poteſt; ſivè ea ad caput, ſivè ad ventrem infimum, vel ad aliam corporis partem deferatur.

Diſſident Autores, tùm veteres, tùm neoterici, circà definitionem catarrhi. *Galenus* putat catarrhum eſſe *delationem multorum humorum*

ex cerebro per palati foramina & nares, qui in exitu unâ cum flatu exeunte ſtrepitum quemdam faciunt (1).

Idem ferè cenſent *Hoffmanus* & *Piquerus*, quorum prior: *per catarrhum* inquit, *intelligi debet deſtillatio aut fluxio, quæ à capite in os & in trachæam arteriam, indè in pulmones delabitur.* Sed cum adhùc nullos anatomi reperierint ductus quibus humores à capite ad os & nares poſſint depluere, rejiciendas putamus haſce definitiones licet ab Autoribus clariſſimis admiſſas, at factis & experientiâ non ſatis ſuffultas.

Si partes catarrho affectas anatomicè rimari lubeat, docebit anatome omnia cribra oſſis ethmoïdæi, nares inveſtiri membranâ molli & ſpiſsâ quæ penè innumeris arteriis, glanduloſis uvis, & vaſis excretoriis prædita, continuò præbet ſerum lympidiſſimum. Docebit etiam anatome fauces & os referta eſſe glandulis quæ ſuo gaudent ductu excretorio; trachæam quoque arteriam, ejuſque varias ramificationes inveſtiri membranâ cujus glandulis inſunt ductus in ipsâ trachæâ arteriâ & in ejuſdem ramificationibus hiantes. Cùm ex omnibus hiſce glandulis, aut ex earum quibuſdam ſcaturit vis nimia humoris ſeroſi, morbus indè ortus vocatur *Catarrhus*. Individua hujus affectûs comes, febris, nomen febris catarrhalis accipit. Ea ad febres lymphaticas & ſeroſas referenda eſt, in quâ aucto ſolidorum & fluidorum motu, & impeditâ tranſpiratione, ſerum, ſuperfluum, & turbidum, factum, modò ſalubri & critico evacuatur per glanduloſa faucium, narium & bronchiorum organa.

Ex iis quas catarrho aſſignant cauſas Medici, ſunt interceptio tranſpirationis ſanctorianæ, quæ eliminandas per poros exhalantes, materias in ſanguine detinet. Indè per glandulas oris, faucium & trachææ arteriæ ſecernitur major ſeri copia; magnæ tempeſtatum viciſſitudines, & mutationes aëris modò ſicci, modò humidi, nunc calidi, nunc frigidi: quæ tot modis ſuperficiem corporis afficiunt, ut evacuationes tuendæ ſanitati neceſſarias ſupprimant. Inopina retropulſio materiæ ſcabioſæ, aut eryſipelatoſæ; ſubita migratio vel è loco calido ad frigidum, vel

---

(1) Juxtà *Botallum* in lib. de catarrh. *catarrhus eſt obſtructio pororum membranæ cerebrum ſuccingentis rectâ ad os ethmoidæ. Obſtrui*, inquit, *ſtiparique adeò hæc pars raró conſuevit, quin humoris aliquid adhùc temporis ſpatio fluat. Huic autem humoris fluxui ab ethmoide, bifidus datus eſt ductus; alter ad fauces protenditur, alter verò ad nares: ambo enim ad os ethemoïdæ veluti in angulum acutum junguntur. Hinc fit ut quidquid à cerebro per hanc viam deponitur excrementoſum, partìm per hunc, partìm per illum, quandoque per alterutrum rejiciatur. Quod ſi dejectus humor narium partes corripiat, tunc coryzam Medici nuncupare ſolent, ſi verò ad fauces vergat, catarrhum dicunt.*

è frigido ad humidum ; imprudentes vigiliæ ſub dio per noctes humidas & frigidas, imprimis poſt nimiam vini aliorumvè liquorum ſpirituoſorum ingurgitationem.

Omiſſis næniis quas longè latèque diſſeminavit fama mendax, cauſas catarrhi epidemici brumis ſolitò craſſioribus adſcribens, cum Doctore hujus Licei credimus eaſdem eſſe quæ, anno 1732, eundem epidemicum affectum produxêre. Quippè non diſſimilia in catarrho per annum proximè elapſum ſymptomata, non diſſimilem morbi durationem & exitum ſe obſervaſſe refert jàm citatus Doctor, partìm ſuâ experientiâ, partìm non dubio fretus celeberrimi *Huxam* teſtimonio. Sed ut aſſerto noſtro ſit novum pondus, relatam ab illo (1) ſagaciſſimi Phyſici ſententiam exponemus:

» Il y eut, dit-il, en 1732 un rhume épidemique qui parcourut » ſucceſſivement toutes les parties de l'Europe, & régnoit déjà à » l'Iſle Bourbon, c'eſt-à-dire, au-delà de la ligne, quand il com» mença en Europe. Cette obſervation prouve que cette maladie a eu » pour cauſe une conſtitution particuliere à tout l'air qui nous en» vironne, & qu'on ne doit pas la chercher dans certains brouillards » qu'on avoit cru remarquer plus grands qu'à l'ordinaire dans quelque » Pays où elle a regné « (2).

Primum hujus morbi ſymptoma eſt horror, cui immediatè ſuccedit impreſſio caloris, univerſa laſſitudo, & moleſtiſſimæ ſternutationes. Simul percipit æger dolores qui vagè ſæviunt in dorſo, variis in membris, & in thorace ubì diù non ſedent ; graveſcunt tamen, & propemodum intolerabiles fiunt propter tuſſim continuam. Nihilominùs per tuſſis conamina & repetitas ſternutationum ſuccuſſiones brevi ejicit æger multam vim muci acris & tenuis. Hucuſque ad frigus quo ſe correptum fuiſſe exiſtimabat, omnia retulerat. Paulò poſt invadit febris quandoque valida ; pulſus frequens eſt, nec tamen durus, nec tenſus qualem apud pleureticos quandoque invenire eſt. Urinæ potiùs albicantes quàm rufæ, ſæpiùs turbidæ & ſpiſſæ reperiuntur. Non aret lingua, at mucoſitate albidâ obſita eſſe ſolet. Omnes ferè ægroti ſomnolentiæ proclives ſunt : quorum plurimi vertiginibus, pertinaciſſimis cephalalgiis, cum levi delirio, laborant. Tentantur alii aurium tinnitu, aut acuto dolore in ductu acouſtico, in quo interdùm efformantur abceſſus (1). Quandoque

(1) In opuſcul. de l'affection catarrhale.

(2) Le P. Coſte P. de l'Oratoire, dans ſa Météorologie.

(1) *Hujus Licei Doctor curans, Monſpelii civem catarrho affectum, vidit, in ductu auditorio, ejuſmodi decubitum qui, cum, ſolâ naturæ operâ, in ſupurationem abiiſſet, morbum judicavit. Sed hunc decubitum excepit ſurditas quæ ad decem dies, poſt ægri convaletudinem, deducta eſt.*

adeò irritantur fauces ut in iis naſcantur ulcera. Apud plurimos ægrotantes, natura molitur diaphoreſim quæ, ſi erumpat & per tres aut quatuor dies ſubſiſtat, multos facit à febre immunes, aut ſaltem eos magnoperè levat. Hypoſtaſim ſatis multam, colore albo, aut luteo, non ſæpè latereo deponit urina. Apud plures è corpore difficillimè expelluntur excrementa. Hujus phœnomeni ratio an ſudoribus, an veſicatoriis adſcribenda ſit, nos latet? Non raro dejectiones bilioſæ morbo finem imponentes, ægros optatæ reſtituunt ſanitati.

Facilè dignoſcitur catarrhus, 1°. Ab aliis morbis qui tunicas glanduloſas faucium, oris & narium afficiunt, & quibus anſam præbuêre ſcorbutus & lues venerea. In iis quidem fiunt corroſiones & ulcera quæ à diſſolutione humorum & à lymphâ perversâ ducunt originem, ſed nulla adeſt febris. E contrà in affectu catarrhali, præter ulcera in prædictis partibus, etiam ſupererunt febris & quædam inflammationis veſtigia 2°. A rheumatiſmo in quo externæ muſculorum tunicæ laborant ſine ullâ evacuatione criticâ, dùm in catarrho afficiuntur tunicæ internæ gradularum cum criticâ evacuatione vel per ſudores, urinas & fæces alvinas, vel per expectorationem, vel per muci è naribus ſtillationem. 3°. A pthiſeos pulmonalis primo gradu, in quo adeſt febris lenta de die in diem augens, ſine ullâ evacuatione criticâ. 4°. Tandem ratione febris, à malignâ febre, eò quòd ea citiùs proſtrat vires, & alia multùm diſcrepantia ab iis, quæ obſervantur in catarrho præ ſe fert ſymptomata: ut pulſum exiguum tendinum ſubſultus, &c.

Raro in mortem terminatur catarrhus qui licet nemini ferè pepercerit, tamen pro innumeris ægrotantibus quos inviſerit, & curaverit vir in re medicâ verſatus, pauci è medio ſublati ſunt, referente mihi hujus Licei Doctore qui, ex compluriмis ægris quos inviſit in noſocomio Lugdunenſi decubitos, letho occumbere vidit imprimis pueros, vel aſthmate vel pthiſi, laborantes, aut ſenio confectos. Hoc obſervatum iſti aphoriſmo divi ſenis conſonum eſt: *raucedines & gravedines in valdè ſenibus non coquuntur* (1). Quò graviora erunt ſymptomata, eò diutiùs protrahetur catarrhus. Quandoque terminatur intrà biduum aut quatriduum; ſed tunc ſæpiùs recrudeſcit morbus cum tuſſi moleſtâ, & diù vexante, cum majori virium proſtratione. Interdùm ad quindecim quatuordecimve dies prolatus ſolvitur criticæ evacuationis beneficio.

Eò curationem dirigere & inſtituere debet Medicus, ut cauſas procatarticas tollat, & pro viribus eradicet. Ad hunc deveniet ſcopum, ſi, imminutâ quantitate liquidorum quæ ultrà modum auxit additio

---

(1) *Lib.* 2 2. *aph.* 40.

materierum in corpore retentarum, liberam reſtituat vaſis ſyſtolem, cui obicem opponebant eæ matereriæ vaſa minima obturantes, ut liquores per totum corpus, motu magis æquo diſtribuantur. Utramque indicationem commodè adimplere poteſt venæ - ſectio, morbo invadente, celebrata, maximè in his qui vehementi & dolorificâ pectoris oppreſſione vexantur. Quantâ commiſeratione dolenda eſt, circà venæ - ſectionis nocentiam in catarrho, cæca vulgi opinio, quod vel ſuæ ſanitati nocivos tàm avidè amplectitur errores! Sed, quàm imò negligenda eſt quorumdam Medicorum praxis, qui venæ - ſectionem neutiquàm convenire in affectu catarrhali contendunt! Non inficiamur eam in hoc caſu, & periculoſam, & fortè mortiferam eſſe, in quo terminanda eſt febris, & nullus dolor, nullaque adeſt pectoris oppreſſio, teſte verſatiſſimi *Huxam*, aliorumque repetitâ experientiâ. Nonnè verò periculoſius & magìs lethale eſt, non emittere ſanguinem, cùm ingruente febre, dolor acutus, ingens pectoris oppreſſio ægrum fatigant. Ratio in promptu eſt; tunc, neglectâ venæ - ſectione, morbus in pleuritidem, aut in peripneumoniam degenerat non ſine vitæ periculo. » Falſum eſt, inquit hujus Licei Doctor expertiſſimus (1), venæ-
» ſectionem mortiferam eſſe in affectu catarrhali epidemico, quàm
» plurimorum venam ſecare juſſi, juſſerunt & alii Medici, eos ſana-
» tos fuiſſe unà vidimus ». Venæ - ſectionem quoque magno cum ſucceſſu celebrandam curavit ſapientiſſimus noſocomii Monſpelienſis Medicus Farjon. Præthereà multa poſt obſervata affirmari poteſt hæmorrhagias per nares in quibuſdam ægris ſalutarem egiſſe criſim quæ morbo finem impoſuit. Hæc innocuæ in catarrho venæ - ſectionis argumentum præſtant nullo dubio revocandum.

Poſt venæ - ſectionem ægri copiosè bibent calidam tiſannam, bechicam, & leviter aperientem, ut facilentur tranſpiratio inſenſibilis & ſputorum excretio; antè ſomnum præſcribantur dragmæ duæ aut tres ſyrupi è papavere albo in tiſannæ q. ſ. diluti. Hujus ſyrupi uſus per dies aliquot perenandus eſt. At ubi ſputorum materia digeſta animadvertetur, additâ hederâ terreſtri & radice altheæ, tiſannæ paulùm diureticæ reddentur. Tunc juvat etiam provocare ſudores potione factâ ex decocto radicis bardanæ & ſyrupo heredæ terreſtris. Nam, ut annotat *Huxam*, certum ſanationis ſymptoma, criſimque maximè neceſſariam offerunt ſudores in ſolum ægri levamen. Fauſtos etiam in hoc caſu effectus producit copioſus & calidus ſeri lactis hauſtus (2). Alia adhùc auxilia minimè à Medico negligenda offerunt veſicatoria quæ cervici applicata

(1) *In opuſcul. jàm citat.*

(2) *Pluries auditum accepi à celeberr. hujus Univerſitatis Cancellario* Barthez: *unciis præſcribitur ſerum lactis, dum libris dandum eſſet.*

ſalutares egere effectûs, tùm in attrahendis versùs cutem acribus humoribus qui trachæam arteriam & pulmones irritabant, tùm in ſedandis cephalalgiis. Si his auxiliis non cedat oppreſſio pectoris, ſemperque difficilis remaneat expectoratio, tunc incidentia cum bechicis maritare decet, ut kermes mineral: oximel ſcillitic: Cum ſyrupo ex hederâ terreſtri, vel cum diſſolutione gomm. ammoniac: alias enim mutari ſolet morbus in peripneumoniam quæ iiſdem auxiliis debellanda eſt. Si tuſſis, quæ morbum per omnes periodos comitata eſt, adeò vehemens fit, ut optimis difficilè ſedetur anodinis, proderit in hoc caſu ſuccus glycyrrhizæ in ore retentus, ut ſensìm liqueſcat: tùm ejus partes leviores ab inſpirato aëre feruntur in trachæam arteriam, indè in pulmones, ſicque humorum acrimoniam minuunt. In toto morbi decurſu tiſannæ lenientes ſunt neceſſariæ, ut aliqua ſolidis ſemper concilietur flexilitas. Cùm materiæ morbificæ versùs inferiora feruntur, quod urinis turbidis, & borborygmis dignoſcitur, vel cùm diarrhæa ſuperveniens tuſſim ſedat; levia purgantia ſub fine febris, ut caſſia & manna in infuſo rhei optimo cum ſucceſſu in uſum advocantur; quod Medicum ferè nunquam fefellit, naturam ducem ſecutum. Ità, quod per totum morbum ægros non liquerat cibi faſtidium, brevi excepit appetitus. Cæterùm, niſi error gravis in curatione commiſſus fuerit, raro in lethum abit catarrhus. Cùm tamen plurimi, morbo neglecto, in aſthma, cachexiam, & pthiſim incidiſſent, ſtultitiæ pœnas ſolverunt.

Licèt proficua innotuerint auxilia quibus, ad debellandos affectus catarrhales, ſapienter utitur ars medendi, tamen in problema attulêre, an ſatiùs eſſet catarrho laboranti continere ſe domi in cubiculo calido, an ſe libero aëri exponere? Quam arduum, imò & tyroni temerarium ſit hoc problema ſolvere, nemo neſcit. Sed obſervatione innixo, ejus ſolutionem aggredi mihi liceat. Menſe Januario anni præſentis, cùm juvene robuſto iter faciens per gelu, morati ſumus, corpore ſat calente, apud hominem quo familiariter utimur. Cùm in cubiculo, ubi nullus erat ignis, per quoddam tempus manſiſſemus amicum expectantes, frigore correptus fuit itineris ſocius. Is veſpere ſe raucedine, laſſidutine membrorum, & cephalalgiâ tentari queſtus eſt. Poſtero die voces magis rauces edebat; ſtillabant nares, ità ut pulſum exploranti eum febricitare, & laborare catarrho mihi patuerit. Poſtquàm ſuaſi ut domi ſedeat & tiſannam hauriat, comtemptis meis & amici conſiliis, voluit domo egredi & deambulare, à victu ſolitò nequaquàm ſe abſtinens. Die ſequenti, interruptum iter paſſu celeri perreximus; eodem veſpere à dolore capitis, & ferè à totâ raucedine ſe liberari ſenſit. Ità priſtinam recuperavit ſanitatem. An, mediante itinere, ipsâ ſui conſervatrix natura, tranſpiratione inſenſibili reſtauratâ, curam non operata ſit, judicent Medici?

FINIS.

DISPUTATURI

N. N. D. D. PROFESSORES REGII.

N. D. JOANNES FRANCISCUS IMBERT, *Cancellarius & Judex*

N. D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *Cancellarius & Judex Adjunctus.*

N. D. FRANCISCUS DE LAMURE, *Decanus.*

N. D. CAROLUS LE ROY, *Pro-Decanus.*

N. D. GASPARDUS-JOANNES RENE'.

N. D. ANTONIUS GOUAN.

N. D. FRANCISCUS BROUSSONET.